

res Physicas five naturales Deorum nominibus indutas proponeret atque explicaret? Idem vero prope modum Heraclitum quoque fecisse clarissime nos docet Autor Homericarum Allego-  
 rum, cujus en tibi verba: ὁ γὰρ σκοτεινὸς Ἡράκλειος ἀσαφῆ καὶ διὰ συμβόλων εἰκάζεσθαι δυνάμενα θεολογεῖ τὰ φυσικά. Facile itaque forsan Heraclitum rigidi etiam Areopagitæ essent absoluturi, nisi alia essent, quæ impeditam valde atque perplexam causam ejus reddere viderentur. Quæ vero ista? Κόσμον τόνδε, inquit Heraclitus, ἔτε τις Θεῶν ἔτ' ἀνθρώπων ἐποίησε, prout ejus verba nobis conservavit Plutarchus in Libro de animæ procreatione e Timæo. Quæ ne parum accurate allata esse quis existimet, ne apice quidem mutato etiam occurrunt apud Clementem Alexandrinum, loco supra representato. Ast hoc quoque argumentum elidere difficile non esse puto, ipse enim ille Clementis Alexandrini locus, ut supra monui, nos docet, de principio saltem Heracliti ista accipienda esse, quod æternum omnino statuit, a nemine Deorum vel hominum conditum id esse affirmans, utpote quod καὶ ἦν καὶ ἔστιν καὶ ἔσται πῦρ αἰεζώνον. Hoc autem cum aliis Philosophis, pene dixerim omnibus, ille habet commune, quorum nemo non materiæ æternitatem propugnavit, cum tamen propterea ἄνθρωποι δημουργοὶ ὄντες omnes haudquaquam abnegaverint. Nec hoc itaque argumento cicutam meruisse Heraclitus potest, alio igitur eum urgebimus. Æternum dicit ignem suum: non inertem, ignavam, motu destitutam materiam eum esse putans, sed αἰεζώνον πῦρ ignem ab æterno vita & motu gaudentem, κίνησιν αἰεζώνον τοῖς αἰεζώνοις, ubi supra ex Plutarcho observavimus, tribuens. Nullum itaque motorem agnoscere videtur, utpote quo principio ejus, ab æterno motum a se ipso habenti, opus vix esse apparet. Accedit deinde quod nec in διοικήσει mundi hujus sensibilis Dei meminisse videatur, utpote quam πυκνώσει solum & μανώσει, quæ secundum eum uti Hermias loquitur δύο τὴν πύρρος πάθη sunt, καὶ εἰμαρμένην, secundum fatum, effici existimat. Sic enim Diogenes Laertius ait eum affirmare πάντα γίνεσθαι καὶ εἰμαρμένην. Sic Plutarchus: Ἡράκλειος πάντα καὶ εἰμαρμένην (scilicet φησὶ γίνεσθαι). Sic & Theodoritus:

T. II, Opp. p. 1014.

Strom. V. p. 399.

Irris. Philos. Gent. p. 174.

L. IX. Segm. 7. 8.

de Placit. Philos. I, 27.